

etiam coram dicto esguardio, visoque dicto instrumento visitationis antedictae, visis etiam stabilimentis dicte religionis et super his habita matura deliberatione iudicaverunt et sententiaverunt in modum, qui sequitur: Primo ipsum fratrem Engelhardum ratione obligationis supradictae incidisse in privationem dicte preceptorie sancti Petri, et ita ipsum dicta preceptoria privaverunt, et incidisse in penas periurii. Item ratione visitationis prefate et contentorum in ea contra stabilimenta bonosque mores et consuetudines dicte nostre religionis ipsum fratrem Engelhardum esse privatum, et ita eum privaverunt offitiis, beneficiis et honoribus dicte nostre religionis et quocumque titulo, si quem haberet, in prefato nostro prioratu Boemie et ceteris aliis preceptoriiis, quas habet, dicte nostre religionis. Item quoad citationem predictam factam domino fratri Enghelardo, ut compareret personaliter, visa ipsius citationis presentacione et ipso fratre Engelhardo nichil respondente nec eidem obediente iudicaverunt ipsum fratrem Enghellardum incidisse ad penam inobedientie et tamquam inhobedientem esse privatum officiiis, beneficiis, ut hic ante dicitur, nostre religionis secundum formam eorundem stabilimentorum nostrorum bonorumque morum et consuetudinum ipsius religionis. Quantum vero ad privationem habitus et punitionem persone ipsius fratris Engelhardi, remiserunt hoc ad voluntatem et misericordiam nostri prelibati magistri⁹³.

Quam quidem sententiam dicti esguardii nobis magistro et nostro venerando consilio per dictum caput esguardii cum fratribus ipsius esguardii postea relatam tamquam sancte et iuste latam approbavimus, laudavimus et confirmavimus ac tenore presentium laudamus, approbamus, ratificamus et confirmamus. Mandantes et precipientes universis et singulis dicte domus nostre fratribus quacumque auctoritate, dignitate, preheminentia, statu honoreque fungentibus, presentibus et futuris, sub virtute sancte obedientie, ne contra hanc esguardii sententiam nostramque ipsius confirmationem et approbationem ac reliqua superius expressata aliquatenus facere, dicere, opponere vel venire presumant, quinymo iuxta earum et eorum mentem, seriem et continentiam studeant et debeant inviolabiliter observare. In quorum omnium robur, fidem et testimonium bulla nostra comunis plumbea presentibus est

93) DAUBER (wie Anm. 45) S. 590 [irrig zu 1457]. Anders als bei dem 1392 erwähnten Fr. Johann Schenk ist in seinem Fall hiermit geklärt, dass er nicht zu den Schenken von Osterwitz in Kärnten zählte; vgl. Karl BORCHARDT, National Rivalry among Hospitaliers? The Case of Bohemia and Austria, 1392-1555, *Medievalista* 30 (Julho – Dezembro 2021) S. 203–245, hier S. 208 mit Anm. 14 (DOI: <https://doi.org/10.4000/medievalista.4535>).